

J. W. FINEZ / Piso.  
De cortice salicis  
cortice perminato sub-  
stitutio do / Lipsiae 1772

DV 805



Universitäts- und  
Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-10076-p0001-9

DFG



Dr. Helmut Vester

Dv 805

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK  
— Medizinische Abt. —  
DÜSSELDORF

V 656

EX LIBRIS  
Dr. phil. H. C. Oskar Dester

*Günz*  
DE  
**CORTICE SALICIS**  
**CORTICI PERVVIANO**  
**SVBSTITVENDO**

---

DISPV TATIO POSTERIOR  
QVAM  
AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORIS

DEFENDET  
**M. IVSTVS GVILIELMVS GVNZ**  
LIPSICVS  
MEDICINAE BACCALAVREVS

---

D. X. APRIL. A. C. CCCCCCLXXII.

---

*9671*  
LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

CORTICE SAPICIE  
CORTICE PERUVIANO  
SAPICIEVENDO

DISTINGUATIO TOSSETURIO

AVANT

ACCESSIONE  
CORTICOISI MEDOCERUM

HED. CEREA DECUMINA

DEUTERON

MULTA SAVITRUM

ELATICA

MEDOCERUM VGOFALBENS

ACCESSIONE CORTICOISI MEDOCERUM

INCLYTAE CIVITATIS  
PEGAVIENSIS

S E N A T V I

LONGE GRAVISSIMO

1 A 8 - T A N S - G A T I E E M A 2 C U R S

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE MEDICVM

PII GRATIQE ANIMI

TESTEM

ESSE IVBET

I V S T V S G V I L I E L M V S G V N Z



DE  
CORTICE SALICIS  
CORTICI PERVVIANO SVBSTITVENDO  
DISPVVTATIO POSTERIOR

§. I.

*In troit u s.*

 Fidem, quam nuper feci, nunc soluam, vtteriusque in corticis salicium examine progre-  
diar, quo dein summo disputationis fini,  
quem titulus indicat, satis facere possim. Quum autem  
quaecunque res non modo, vt tritum aliquod docet,

*saepe repetita placeat,*  
sed et eius repetitio frequenter et accurate instituta mul-  
tum in ipsa re intelligenda valeat; quum deinde L.B. dis-  
plicere

A 3



plicere néqueamus, si, quae in priori dissertatione fuse et ampliter exposuimus, in posterioris limine succinēte et breniter repetamus; nec inutile nec taediosam fore existimamus operam illam, quam in tradendo rerum in priori dissertatione propositarum compendio collocare iam volumus. Exhibuimus autem in isto scripto salicis *pentandrae*, *fragilis*, *capreae*, et *albae LINNAEI*, veluti specierum illarum, de quarum cortice differitur a nobis, descriptionem botanicam, ex duorum tantum Veterum botanicorum, et quorundam recentiorum scriptis petitam; atque ostendimus, omnes hasce quatuor species naturā sua fruticosas esse, facile tamen cultura arborescere; solumque amare vi plurimum humidum, pingue, suboleosum; totum denique salicum genus propter corticis foliorumque colorem valde mutabilem, folia in una eademque specie modo glabra, modo aspera, staminumque numerum multum varium difficulter esse describendum. Enarrauimus deinde partium salicis apud Veteres fata, et cognouimus, omnibus, etiam parasitis, adscriptam esse vim adstringentem, stypticam, imo interdum analepticam et peruinam a praeparatione eorum potissimum dependentem; fuisse tamen folia, flores, et quidem stamineos, corticemque frequentius, radicem vero, lignum, viscum, et fungos rarius exhibitos. Demonstrauius porro, quasdam harum partium etiam a nostris magno cum fructu fuisse in usum vocatas, omninoque flores, folia et corticem ramorum iuniorum vi medica pollere; lignum vero potissimum, licet non omnium salicis specierum, usui oeconomico aptum esse. (Hic addere liceat, quod pappus semenum, in primis salicis *pentandrae*, ideo etiam *Baumwollenweide* dictae, yelut lanugo tenerima quasi bombycina, si gossypio rite



rite admixta fuerit, ad opus textorum apta esse a Cl.  
WESTBECKIO et Ill. GLEBITSCHIO<sup>a)</sup> dicatur.) His  
omnibus praemissis ipsius corticis salicis principia eorun-  
demque proportionem, per examen et sensum et ignis  
Chemici auxilio institutum detectam exposuimus, et  
declarauimus, in quoconque harum specierum cortice  
deprehendi multas partes terrestres et resinosas, paucio-  
res gummosas, quasdam oleosas, spirituosas, acidu-  
loque salinas ut plurimum volatiles. Has in *pentandrae*  
*salicis* cortice copiosissimas, in *fragilis* cortice non adeo  
copiosas, in *capreae* et *albae* cortice vix deprehendendas  
esse, et odo, et experimenta nos docuerunt. Iisdem  
autem tentamib; perque saporem edociti sumus, in  
*fragilis* *salicis* corice plurimas gummosas, in *pentandrae*  
cortice non tantam earum copiam, in *capreae* et *albae*  
cortice perexiguam earum quantitatem contineri; in  
qua re nos illa a variis Materiae Medicae scriptoribus  
condita regula confirmauit, quae iubet, ut amarus sapor  
gummearum; subausterus et adstringens gummearum  
cum resinosis pluribus arte connexarum; austerus et  
adstringens resinosarum et terrestrium; adstringens et  
stypticus pauciorum resinosarum plurimumque terrestrium  
index haberi debeat. Eodem modo diuersam in hisce  
diuersis corticis salicis speciebus resinosarum quantitatem  
deprehendimus, hancque in *caprea* et *alba* maximam, in  
*pentandra* magnam, in *fragili* minorem cognouimus.  
Terreas in *caprea* et *alba* multum abundare, in *pentandra*  
et *fragili* non adeo copiosas esse intelleximus. Colorem  
deni-

a) Praeter plura relationibus publicis Silesiae, Marchiae, Sue-  
ciae, Thuringiae inserta vid. potissimum Cel. GLEBITSCHII  
librum: qui Ao. 1768. sub titulo: *Kurze Anweisung zum An-  
bau der Baumwollerweide und deren Pflege*, Berolini prodiit.



denique corticis plus minusque viridem: odorem vero in *pentandra* pergratum; in *fragili* aliquantum nauseosum; graminis odori similem; in *caprea* spinaciae herbam redolentem; in *alba* ingratissimum: saporem denique in *fragili* peramarum, in *pentandra* subausterum et adstringentem, in *caprea* austерum, adstringentem et stypticum, in *alba* denique summe stypticum animadvertisimus. (Qua in re tamen denuo obseruandum est, examen corticis salicis *albae* parum recte institui potuisse.) Parem denique deprehendi principiorum corticis diuersitatem pro ipsis corticis varia aetate, eumque praeparandi ratione, in fine prioris dissertationis declarauimus, ostendimusque, corticem ramorum annosiorum, iam triennium, perpaucas adhuc fouere volatiles et gummosas; plures e contra resinosas et terrestres partes, eandemque varietatem reperiri in cortice, licet e ramis iunioribus decerpto, incaute tamen, vehementisque ignis ope exsiccatu.

## §. II.

### *Ordo tractationis.*

Totum autem hoc corticis salicum examen per medicamentorum, ex eodem parandorum cognitionem, quam, quum ad solam artem medicam spectet, in priori dissertatione, quippe quae in cathedra Philosophica defendenda erat, exhibere non licuit, iam in hac posteriori dissertatione, in Medicorum suggestu vindicanda, illustrandum est. Quo facto de corticis salicum viribus medicamentosis iudicium ferendum, harum virium cognitio ad therapiam generalem applicanda, practicisque obseruationibus illustranda; ipse denique salicum cortex quoad suam naturam, medicamenta ex eo parata, vires ipsi

ipſi adscriptas, harum agendi modum, eiusdem in morbis vtilitatem, nec non cautelas in eius vſu adhibendas cum cortice Peruuiano comparandus erit.

### §. III.

*Indicantur medicamenta ex salicu[m] cortice parata.*

Ex salicu[m] vero cortice confici possunt varia medicamenta vi praedita praeparata. Et primum quidem ipſe cortex in pulueris formam redigi; ex eo aqua destillata parari; pulueri eiusdem vel frigida vel calida aqua infundi; idem puluis spiritu vini, vel aceto vini destillato resolui; ex aqua corticis destillata denique vel tinctura eius spirituosa varia extracta obtineri possunt. Quae variae et diuersae praeparationes cum a nobis repetitis vicibus exploratae, tum etiam in aegrorum commodum exhibitae sunt. De singularum igitur natura et indole nunc ea, quae tentaminibus cognouimus, exponamus, et quoniam cum fructu propinatae fuerint, paulo inferius declaremus; id tamen simul monentes, quod nunquam nobis licuerit, cum cortice salicis *albae* experimenta instituere, nosque huius tantummodo eam ob causam mentionem faciamus, quoniam eum a Veteribus portissimum, et nunc etiam a quibusdam recentiorum adhibitum fuisse scriptis<sup>b)</sup> cognouimus; eaque denique tentamina, quae a nobis cum salicis cortice facta sunt, *pentandrae* et *fragilis* salicis corticem solummodo attineant, pauca enim cum cortice salicis *capreae* pericula fecimus.

### §. IV.

b) vid. *Phil. trans.* Vol. LIII. p. 105. und der *Landarzt, eine medizinische Wochenschrift*, Erf. u. Leipz. 1769. p. 334.



## §. IV.

*De puluere corticis salicis.*

Non adeo facile et bene succedit pulueris corticis praeparatio. Constat enim cortex salicum fibris multum tensis, nec adeo leui vi dissoluendis, et aliquantum cum libro conuenit. Rite autem probeque exsiccatus facile, si modo mortario eiusque pistillo bene utramur, ad puluerem redigitur. Qui colorem habet in *pentandra* et *fragili* egregie viridem, in *caprea* vero obscure viridem; odorem in *pentandra* gratissimum, lauri quasi odori similem; in *fragili* nauseosum cum graminis odore comparandum; in *caprea* gratum cum odore spinaciae aliquantum conuenientem; saporem denique in *pentandra* balsamicum, amarum et adstringentem, in *fragili* peramarum, adstringentem, aliquantum stypticum; in *caprea* parum amarum, adstringentem, summeque stypticum. Omnium tamen trium harum specierum cortex ad puluerem redactus aegris facile nauseam mouet, et ab iis spernitur; solus ex *pentandrae* salicis cortice paratus pulvis aegris non adeo ingratus deprehenditur.

## §. V.

*De aqua destillata ex salicis cortice parata.*

Egregiae e contra sunt aquae illae destillatae, quae ex salicis cortex obtinentur; et inter eas gratissima, quae ex cortex salicis *pentandrae* paratur. Quae seilicet multis fouet particulas oleoso-spirituosas, aciduloque salinas; odorem spargit fortem, periucundum, hypnoticum quasi, qualis est odor aquae Melissae; caput tamen quodammodo grauans; pergratumque habet saporem balsamicum, diu tamen a lingua si exploratur, aliquantum

■ ■ ■ ■

quantum adstringentem <sup>c)</sup>). Cui ex *pentandrae* salicis cortice praeparatae aquae destillatae proxima est quoad amoenitatem ea, quam cortex salicis *fragilis* largitur. Haec autem gaudet odore multum graui, nauseoso, simili odori, quem aqua florum tiliae spargit; sapore vero grato et reficiente quidem, aliquantum tamen nau-seoso. Cortex salicis *capreae* vero praebet aquam styptico sapore praeditam, odore autem cum aqua fragariae conuenientem. Omnes autem hae aquae destillatae in arte medica non sine exiguo fructu adhiberi possunt. Uſus sum ea, quae ex salicis *pentandrae* cortice paratur, tanquam medicamento analeptico, ad senem apoplexiae fulmine tactum resuscitandum; eadem, nec non aqua destillata corticis salicis *fragilis* ad medicamenta emetica excipienda; aqua destillata corticis salicis *capreae* in vulnera exiguo consolidando, aliis tamen medicamentis simul exhibitis; semperque votis meis responderunt euentus.

#### §. IV.

##### *De infusis aquosis corticum salicis.*

Praestantiora tamen esse videntur *infusa aquosa* ex salicium cortice parata. Et in his etiam obseruauimus aliquam diuersitatem cum ab aquae, quae infundebatur, proprietate, tum ab corticis diuersitate dependentem. Alium enim habet colorem, odorem atque saporem *infusum frigidum*, ut dicunt, aliud *infusum calidum*, quod potius decoctum vocari meretur. Alia etiam deprehendit

B 2

ditur

c) Plura habet saepe in priori nostra dissertatione laudatus p E T R.  
I M M. H A R T M A N N. loc. cit.



ditur coloris, odoris et saporis ratio in infuso corticis salicis *pentandrae*, alia in infuso corticis salicis *fragilis*, alia in infuso corticis salicis *capreae*, siue illud frigidum, siue calidum sit. Frigidum vero corticis salicis *pentandrae* infusum illum pene flauum colorem habet, quem in auro animaduertimus; limpидum tamen simul atque pellucidum est, gratum spargit odorem, sapore vero gaudet non adeo taedioso, balsamico et amaro. Idem ex cortice salicis *fragilis* paratum non plane eundem, magis vero amarum saporem, nauoseosum odorem, flauumque colorem, cinnamomi colori pene similem, habet, et pellucet. Ab vrroque multum differt infusum frigidum, quod ex cortice salicis *capreae* obtinetur; hoc enim minus pellucidum, obscure flauum, ingrate olens, et sapore amaro multumque adstringente praeditum deprehenditur. Quae coloris, odoris, et saporis natura in decocto ex cortice diuersarum harum trium salicis specierum parato ita mutatur, ut in decocto corticis salicis *pentandrae* color sit subflauus, in decocto corticis salicis *fragilis* quasi fuscus, in decocto corticis salicis *capreae* obscurissimus; odor autem in priori pene nullus; in altero magis nauoseosus; in posteriori ingratissimus: sapor denique in priori leniter amarus et adstringens; in altero peramarus valdeque adstringens; in posteriori summe adstringens et stypticus. Quia de re in vsu infusorum horum medico infusa frigida decoctis, frigidum *pentandrae* frigido *fragilis*; praeferri, infusorumque ex cortice salicis *capreae* paratorum vsum internum negligi posse credidimus, praesertim quam animaduerterim, aegros ipsos de infusorum horum vsu ita iudicare, multosque eorum ab illorum vsu plane abhorre.

## §. VII.

## §. VII.

*De solutionibus corticis salicis vinosis spirituosis et acetosis.*

Praeter infusa et decocta corticis salicis aquosa et iam *vinaea*, *spirituosa* et *acetosa* infusa parari possunt. Vinum autem corticis pulueri infusum ab eo colorem accipit in *pentandra* saturate luteum, in *fragili* obscurius luteum, in *caprea* magis fuscum; sapor in hoc infuso est balsamicus, acris, amarus, stypticus; ita tamen in tribus hisce speciebus varius, ut minor sit stypticitas (si dicere fas est) in *pentandra*; maxima in *caprea*; ut in *fragili* potissimum lenis et grata amarities percipiatur; et *pentandrae* infusum pene solum balsamicum habeat saporem. Infusa autem haec cum vino Franconico facta si leni dentur digestioni colorem sensim obscuriores, saporem vero magis stypticum et adstringentem obtinent. In vitroque tamen infuso vino, siue cum digestione siue sine illa conficiatur, odor parum distinctus animadvertisitur. Multo luculentiora apparent phaenomena, si pulueri corticis salicis spiritus vini rectificatissimus infunditur. Huius vncia vna super drachmam vnam pulveris fusa obtinet colorem egregie viridem, aut qualem habet solutio rhabarbari spirituosa, ita tamen mutabilem, ut magis pellucida sit solutio spirituosa corticis salicis *pentandrae*, quam *fragilis*; *capreae* e contra solutio spirituosa magis fusca colore animaduertatur, et ad nigredinem quasi vergat. Odor eiusdem, (forte a menstruo) est quasi cardiacus, sapor vero in *pentandra* et *fragili* balsamicus, in vitroque tamen et potissimum in *caprea* austerus et adstringens deprehenditur. Cortex salicis denique ab aceto vini destillato solutus hoc flavo plus

B 3

minus-



minusque pellucido tingit colore, et quidem *pentandrae* cortex magis pallido, *fragilis* cortex vini iunioris quasi colore, *capreae* denique cortex obscuro magis colore. Odor potissimum oleoso-spirituosas aciduloque salinas corticis particulas indicare videtur; sapor vero praeter eam, quae menstruo inest, proprietatem tamen simul aliquantum adstringens animaduertitur. Ita autem tres diversae illae corticis salicum solutiones differre videntur, ut *acerosa* ob menstruum, partesque, quas continere videtur, praestantissima; *spirituosa*; quam multas resino-sas particulas souere videatur, satis egregia; *vina* vero, nisi menstruum eam commendet, reliquis inferior iudicari possit. Qua in re tamen simul monennus, in omnium harum solutionum usu dijudicando ad finem, ob quem adhibentur, et cui consequendo varie applicari debent, respiciendum<sup>d)</sup>; nec solutionem spirituosam corticis salicis *pentandrae* solutioni spirituosa corticis salicis *fragilis* est p. aequiparandam esse.

### §. VIII.

#### *De extractis corticis salicis.*

Parari denique etiam posse ex cortice salicis *extra-*  
*cta*, quicunque modo leuem artis pharmaceuticae prin-  
cipiorumque huius corticis cognitionem habet, facile  
intelliget. Sunt ea autem vel *aquosa*, vel *spirituosa*.  
Haec etiam *resinosa*, illa *gummosa* non inepce vocantur.  
Nec non vtraque iterum ita distinguuntur, ut aliud sit,  
quod primo, aliud, quod secundo loco obtineatur. *Ex-*  
*tractum*

d) Vti enim paulo inferius declarabimus, solutio *acerosa* magis  
ut *antisepticum*, *spirituosa*, ut *resoluens*, *vina* ut *ruborans* et  
*nervatura* considerari potest.

*tractum aquosum primum*, vt dicunt, subfuscum in *pentandra* et *fragili*; obscure fuscum in *caprea*; in vtraque priori odore non ingratum, quasi balsamicum; in *caprea* odore pene destitutum; saporem habet in *pentandra* balsamicum, intense amarum, acriuscum, stypticum; in *fragili* non acrem, leniter grateque amarum, adstringentem et stypticum; in *caprea* denique parum amarum, valde acrem, valde adstringentem, valdeque stypticum. *Extractum aquosum secundum* in *pentandra* tamen amarum et stypticum; in *fragili* adstringens et austernsculum; in *caprea* plane stypticum deprehenditur. *Extracta spirituosa* fere inter se conueniunt, praestantius tamen est *primum*, quod in *pentandra* et *fragili* balsamicum est, et tenacem continet resinam; in *caprea* vero balsamico sapore destitutum est. Quae quatuor diuersa extracta ira praestantia sua differre putauerim, ut *resinosus gummosa*, prima vero secundis efficaciora sint; simul tamen ea, quam in fine §. VII. dedi, regula non neglecta.

### §. IX.

*Indicata medicamenta inter se comparantur.*

Ex iis igitur, quae §. IV-VIII. exposuimus, hunculenter patet, puluerem corticis salicum raro adhiberi posse, quum omnis, solo corticis *pentandrae* salicis pulvere excepto, quippe qui aliquantum grauior est, aegris nauseam moueat; *aquas destillatas*, in primis eam, quae ex *pentandrae* salicis cortice paratur, egregie analepticas esse; *infusa aquosa*, magis tamen frigida, et ea, quae ex *pentandrae* et *fragilis* salicis cortice obtinentur, egregie balsamica et amara deprehendi; *infusa vinosa* neruina et roborante virtute sese commendare; *infusa spirituosa* succi



succi plenis et robustis corporibus magis appropriata esse; solutiones cum aceto vini destillato factas propter anti-septicam vim laudem mereri; extracta denique aquosa, spirituosa praferenda, omni iure inter medicamenta leniter abstergentia et roborantia referri debere. Apparet praeterea ex iis, quae de indole horum praeparatorum dicta sunt, primum locum extracta aquosa, et quidem prima; secundum infusa aquosa frigida; tertium aquas destillatas; quartum decocta siue infusa aquosa calida; quintum infusa vinosa; sextum infusa acetosa; septimum infusa et extracta spirituosa; ultimum denique puluerem merito sibi vindicare posse. Quae tamen ita limitanda sunt, ut omnium horum medicamentorum virtus multum differat pro diuersa illius corporis, cui applicantur ratione, et in robustis aliter diudicanda sit, quam in debilibus et laxis corporibus.

### §. X.

*Quaenam vires cortici salicis insint.*

Exposita nunc corticis salicum, et medicamentorum ex eo consectorum, natura et indole, quaenam vires ipsi cortici insint, a nobis indagandum est. Cognouimus autem, cuicunque diuersarum harum salicum cortici inesse ex parte *volatile oleoso-spirituosa, aciduloque salina;* ex parte *fixa gummea, resinoza et terrestria principia;* partes volatiles *balsamico* suo odore et sapore, gumeas amaro sapore, resinosas autem et terrestres sapore *subaustero et adstringente* sese manifestare; nouimus deinde, idque ex optimis scriptis didicimus, insignem amaritatem cum principio volatile balsamico coniunctam indicare virtutem non modo *leniter roborantem*, sed etiam *talem,*

■ ■ ■

talem, quae humorum stases remoueat et dissoluat; (mihi tamen hic effectus robورanti vi etiam adscriben-  
dus esse videtur;) pariter intelleximus, *amaritem*, gum-  
mearum partium indicem, cum *adstringione* quadam (sit  
venia verbo), ut teste partium resinosarum, coniunctam  
declarare *virtutem robورantem*, hancque eo leniorem, quo  
plus resinosa corticis pars per balsamicam temperetur;  
quoque aequalior sit vtriusque, cum *gummeae*, tum  
*resinosae* partis, portio. Ex quibus omnibus id colle-  
gerim, corticem salicis non immerito inter *medicamenta*  
*austero-amara*, *odorata*, *balsamica*, vi sua robur solidor-  
um adiuuantia, humoresque spissos resoluentia, imo  
et *antiseptica* (talia autem ex amaro sapore dignoscuntur)  
referri debere.

### §. XI.

*Quomodo iſlae vires in variis corticibus differant.*

Quum autem quatuor a nobis exploratae salices in  
corticibus suis quoad eorundem principia multum diffe-  
rant, non mirum est, quod in omnibus istis corticibus  
virium diuersa sit ratio. In *pentandrae* enim salicis cor-  
tice *balsamicae* partes copiosae sunt, et ita in hoc vis ad-  
stringens multum temperata existit; in cortice salicis *fra-  
gilis* *gummeae* particulae, copiosiores ac in *pentandra*, vna  
cum *balsamicis* bene commixtae, idem praestant; *capreae*  
salicis cortex his quidem inferior censendus, illi tamen  
roborandi vis non plane deneganda est; quod iudicium  
etiam de cortice salicis *albae* ferendum esse videtur. De  
differentia virium, quae in iunioribus et annosioribus  
corticibus occurrit, hoc valet, quod roborandi vis solis  
*iunioribus*, quippe quibus balsamicum principium inest,

C

adscri.



adscribenda, arnoſoribus e contra adſtrigens et styptica  
facultas adiudicanda fit.

### §. XII.

*Virium harum cognitio ad Therapiam generalem ap-  
plicatur.*

Quae de viribus cortici ſalicum propriis iam expo-  
ſita, quomodo therapiae generalis praeceptis accom-  
modari debeant, nunc inquiramus. Quorum praece-  
ptorum quum quatuor potissimum ſint genera; eorum-  
que prium de viribus vitae conſeruandis vel incitan-  
dis; alterum de morborum cauſis remouendis; tertium  
de modo iplis morbis medendi; quartum denique de  
periculis ſymptomatis vel tollendis vel mitigandis  
agat; eundem ordinem in virium cortici ſalicum pro-  
prium cognitione iisdem applicanda ſequi et neceſſa-  
rium et ſumme proficuum erit. Vires vitae in apta hu-  
morum circulatione, et elaboratione potissimum conſi-  
ſtunt, et languent vel tum, cum fluidum ſubtile illud  
nerueum, quo omnis corporis motus ſuſtinetur, non  
rite elaboratur, vel tum, cum ſolidis motum et elab-  
orationem humorum adiuuantibus deſt ſufficientis et ne-  
ceſſarium nutrimentum. Languent autem vel ſubito,  
vel ſenſim ſenſimque. Huic malo potissimum apto ali-  
mentorum cum bene nutrientium, tum robur ſolidorum  
reſtituentium uſu medemur; ad illud vero malum remo-  
vendum applicatio medicamentorum magna vi et ſubito  
cum in ſolida, tum in fluida agentium, requiritur.  
Priori incommodo cortex ſalicum immediate non pro-  
ſpicit, posterius autem vi ſua balsamica, in volatilibus  
eius principiis, cortici ſalicis pentandrae praecipue pro-  
priis,

prius, latente, tollere valet; vapor enim eius est gratissimus, reficiens, valdeque analepticus; in aqua destillata in primis manifestus. Et in hac re indicationi, quam dicunt, vitali, satisfacit. Aliud therapiae generalis praceptum morborum causas, siue in diaetae vitiis, siue in venenorum noxis, siue in sanguinis abundantia, siue tandem in humorum acrimoniam positae sint, removere iubet. Quum autem errores diaetae optime ab aegro obsequioso, et ad ea, quae ipsi noceant, attento corrigantur; quum deinde difficile sit, de veris venenorum vim infringendi remedii certa quaedam proferre; quum denique nos non nisi exigua cum probabilitate, in quibusdam venenorum noxis, v. c. iis, quae ab alcali quodam corpori intempestive applicato oriuntur, auertendis corticem salicum vi sua antisepatica aliquid valere, asserere possimus; de sola plethora et cacoehymia per usum huius corticis corrighenda nunc differamus. In sanguinis vero abundantia imminuenda iste cortex, si unquam, semper caute adhibendus est, quum non nisi in plethora obesa, vel imbecillum, laxitatem et debilitatem partium quadam ex parte corrigendo, humorumque se- et excretiones adiuuando, prodesse possit. Idem salicum cortex humorum acrimoniam ita corrigerere videatur, vt spissitudini vi sua amara resoluente, balsamica vero acrendi medeatetur; non tamen nisi magna cum attentione exhibendus est.

### §. XIII.

#### *Continuatio.*

Quae quidem de corticis salicum usu in viribus vitae incitandis, venenorum noxa auertenda, plethora et

C 2

caco-



cacochymia corrigenda valent. Disquiramus nunc porro, quomodo virium huic cortici propriarum cognitio indicationi curatoriae et palliatinae accommodari possit. Vti autem pathologia nos docet, alia sunt vitia solidarum, alia fluidarum partium, alia denique magis composita, et vel a motu humorum peruerso, vel a viscerum vasorumque obstructione oborta. Solida vel rigiditate, vel stricture, vel laxitate, vel debilitate peccant, siue violenta quadam vi dissoluuntur. Rigiditatem et stricturam non tollit, sed potius auget, corticis salicium, tanquam medicamenti austero-amari, usus. Prodest autem iste cortex in laxitate solidorum cum abundantia fluida absorbendo et resoluendo, tum ipsis fibris robur elasticum reddendo; nec non, quum non adeo adstringentem habeat indolem, balsamica sua vi, si modo rite adhibetur, in solidorum debilitate utilitatem praefat. In vulneribus consolidandis, ulceribus depurandis, haemorrhagiis fistendis, gangraena vel auertenda vel cohinda, externus eius potissimum usus propter adstringentem et stypticam, in *capreae* et *albae* cortice manifestam, atque antisепticam et balsamicam virtutem commendandus est. Tenuitatem humorum absorbendo; spissitudinem resoluendo; acridinem, magis tamen alcalinam, temperando et immutando, attente tamen, aegrorumque ratione bene habita, exhibitus idem salicium cortex corrigeret valet. Motum anctum, si a spissitudine humorum, partium quarundam laxitate et debilitate, excretionibusue suppressis vel impeditis, dependeat, imminuendi; imminutum, si a nimia humorum tenacitate, viriumque vitae languore oboriatur, augendi potestatem habet caute, aliisque remedii non negle-

neglectis, propinatus salicu[m] cortex. Quae cautelae etiam in eius vsu ad vasa et viscera obstructa referanda attendi debent. Adiungi praeterea potest aqua destillata huius corticis variis medicamentis, quae ab aqua quadam balsamica et temperata recipi debent, imo et emeticis; resina eius ad aluum euacuandam propinari; infusa denique varia, et solutiones extracti aquosi primi ad se- et excretiones adiuuandas, vt diaphoretica et diuretica medicamenta, exhiberi possunt. Dolores denique ab acri materia stagnante obortos per balsamicam et discutientem; profluua immoderata, et, vt dicunt, colliquatua, per adstringentem et roborantem virtutem tollere, mitigare, vel moderare valet idem salicu[m] cortex vel externe, vel interne, semper tamen caute, adhibitus.

#### §. XIV.

##### *Conclusio ex antecedentibus.*

Habet igitur cortex salicu[m], vt medicamentum balsamicum, austero-amarum, leniterque adstringens, facultatem vires vitae subito depresso[rum] incitandi; noxas ab alcalinis venenis enatas mitigandi vel tollendi; plethoram obesam et imbecillum ex parte et mediate immi[n]uendi; spissos humores resoluendi; acres inuoluendi et corrigendi; laxa solida roborandi; debilia confortandi; vulnera consolidandi; vleera abstergendi; gangraenam et sphacelum cohibendi; tenues humores absorbendi; quosdam vehementiores motus temperandi; suppressos refocillandi; aluum euacuandi; se- et excretiones adiuuandi; vasorum viscerumque obstructiones reserandi; discutiendi; dolores quosdam leniendi; nimia denique sanguinis et humorum profluua impediendi;

C 3

vel



vel saltē moderandi. Ita tamen semper istae facultates in cortice salicūm differunt, ut non omni cortici eadem semper competit potestas, nec eadem vni eidemque ex illo praeparato medicamento. Habet enim quidam cortex plus balsamici et amari quam alter, cui potius maior inest adstringendi vis; sic etiam in alio medicamento copiosae continentur balsamicae, in alio copiosiores resinosaes partes. Quae differentiae omnes in corticis salicūm et medicamentorum ex eodem paratorum usu bene probeque attendenda sunt:

### §. XV.

#### *Vilitas corticis salicūm obseruationibus practicis illustratur.*

Quae de corticis salicūm virtutibus iam asserta, et ex eius principiorum cognitione rationis auxilio quasi petita, magna ex parte etiam per experientiae documenta confirmantur. Vim analepticam in solo recenter decerto cortice, eiusque aqua destillata rite praeparata, manifestam ipsemet expertus sum<sup>e</sup>). Facultatem noxas ab alcalinis venenis obortas tollendi indicare videtur magna copia acidi salis in cortice salicis deprehendenda, gratoque reficiente vapore se prodens<sup>f</sup>); ipsam tamen nec ab aliis experiundo comprobata reperio, nec ipse experiri potui. Laxitatem et debilitatem vero solidarum partium ipse infusi frigidi corticis salicis fragilis usi correi, et ita in binis adhuc iuuenilibus corporibus et imbecillum et obesa plethorae medelam attuli. Aegro-

rum

e) vid. nostr. Diff. §. V.

f) conf. que in Diff. nostr. priori de principiis corticis diximus et in huius initio repetimus.

rum alter habebat acres; alter spissos humores, quos  
 eodem medicamento simul meliores reddere mihi licuit.  
 Pariter in exiguis quibusdam digitis manuum inflictis  
 vulnibus, quorum vnum etiam in vlcus impurum ver-  
 tebat, consolidandis et vlcere illo depurando; (simul  
 tamen egregio illo quidem, falso tamen patris mei no-  
 mine vendere solito, oleo vulnerario balsamico, inter-  
 dum adhibito) multum profuit siccii pulueris et aquae  
 destillatae corticis salicis caprae vodus externus <sup>g)</sup>. Cor-  
 ticem salicum gangraenae cohíbendae non imparem esse,  
 hoc a Cl. cAMPERO <sup>h)</sup> institutum, a me tamen semel  
 repetitum experimentum me edocuit. Paraui enim ex  
 cortice salicis fragilis decoctum aliquod ita saturatum,  
 vt vni vnciae corticis duae vnciae aquae communis so-  
 lum modo infunderentur; in ollam vitream decocto  
 huiusmodi plenam misi carnis bonae et recentis vitulinae  
 libram dimidiā; aliam vero dimidiā libram in ollam  
 vitream eiusdem magnitudinis, eademque aquae plu-  
 viatilis depuratae quantitate repletam; vtramque ollam  
 bene clausam imposui furno ferreo per omnes pene diei  
 noctisque horas satis aequaliter calefacto; et animad-  
 verti, carnem in olla aqua pluviatili repleta contentam  
 vix vna septimana perlapsa aquam hanc putrido suo va-  
 pore inficere; eam e contra, quae in altera decocto  
 corticis salicis plena olla continebatur, duabus septimanis  
 elapsis turbidam quidem factam esse, odorem tamen  
 gratum prodiisse, nec putredinem nisi quatuor vel  
     quinque

<sup>g)</sup> vid. nostr. Diff. §. V.

<sup>h)</sup> PET. CAMPERS *Vorlesungen ueber das Viehsterben aus d. Hollaend. uebersezt von I. C. LANGE, Kopenb. 1771. p. 121. sq.*



quinque septimanis perlaphis conspicuam fuisse. Quod phaenomenon me de virtute gangraenam impediendi cortici salicum propria certiorem reddidit <sup>i</sup>). Tenues vero humores absorbendi potestatem ideo huic cortici adscripsi, quia in eo multas reperiri terreas particulas experientia cognoui. Vim vehementiores corporis motus compescendi multa Autorum variorum confirmant experimenta. In Anglia enim iam puluis corticis salicis albae frequenter in febribus internittentibus non absque prospere euentu usurpatur; imo eundem, nulla antea facta corporis praeparatione, exhiberi posse, relatum esse memini <sup>k</sup>). Sunt mihi hac in re testes *ED MVND STONE* qui quarta quoque dierum intercalarium hora subtilissimi illius pulueris scrupulum unum vel duos aegris cum fructu ad febres intermittentes profligandas propinavit; in pertinacissimis febribus eundem cum quinta corticis Peruuiani ad puluerem redacti parte commixtum feliciter dedit, *corticemque Anglicanum dici* mauult <sup>l</sup>): praeter hunc *IO. FRID. CLOSS<sup>m</sup>*), in quotidianis et tertianis, non autem ita in quartanis, felicem corticis salicis usum expertus; nec non *Cl. PETR. IMM. HARTMANN<sup>n</sup>*) et *Cel. CAROL. ABRAH. GER-*

HARD

<sup>i</sup>) *Hinc Cl. CAMPER* decocti huius usum in peste animalium commendat loc. cit. vide etiam *Kögl. Vetenskaps Akademiens Handlingar for Ar. 1769. Vol. XXX. Stockh. 1769.* p. 335. in der Kaeftner'schen Uebersetzung Band XXXI. p. 332.

<sup>k</sup>) *Phil. Transf.* Vol. LIII. p. 195.

<sup>l</sup>) *Phil. Transf. loc. cit. Comment. de reb. in scientia naturali et medicina gestis Vol. XIII.* p. 670.

<sup>m</sup>) *nona variolis medendi methodus Trai. ad Rben. 1766.* p. 128.

<sup>n</sup>) *Diss. de salice laurea odorata* p. 26. 34. et 36.

HARD<sup>o</sup>). Ego virtutem illam dicti corticis in ynica quadam femina satis robusta, febre internittente laborante, expertus sum. Pariter refert Cl. CLOSS, puluerem corticis salicis sex drachmarum pondere die intercalari exhibitum vomitum pituitosum, febris intermittentis ad instar redeuntem, feliciter curasse<sup>p</sup>). Suppressos motus resuscitandi potestatem suspicor ex calefaciendi vi, cuique resinosis partibus scatenti corpori pene insita. Aluum, sudorem, et vrinam cortex salicis quidem non immediate, sed potius solidis partibus robur suum restituendo mouere videtur. Quod autem ad vasorum viscerumque obstrunctiones referandi facultatem attinet, eam ex parte in oedemate pedum a male curata febre internittente oborto per solius infusi frigidi ex cortice salicis fragilis parati usum feliciter curato expertus sum. Corticem denique annosiorum ramorum sanguinis, recentis infusa frigida, et extracta aquosa in balsamica quadam aqua, v. c. aqua cinnamomi soluta, feri aliorumque humorum nimia profluvia sistere et impedire aliquoties cognoui. De anthelmintica virtute cortici nostro propria testatur iam laudatus Cl. CLOSS<sup>q</sup>). Cortici salicis fragilis in specie Cl. GERHARD<sup>r</sup>) vim antisepticam, antifebrilem, et roborantem tribuit. Corticem vero pentandrae salicis Cel. HARTMANN<sup>s</sup>) in febribus intermitte-

bus,

<sup>o</sup>) *Mat. Med. Theil II. Abschnitt VIII. Cap. V. §. 286.*

<sup>p</sup>) loc. cit. p. 129. 130.

<sup>q</sup>) loc. cit. p. 130.

<sup>r</sup>) loc. cit.

<sup>s</sup>) loc. cit. p. 36. sqq.



bus, cachexia, leucophlegmatia, oedematis, rauçidine diuturniori, laxitate gingiuarum, et vuulae, vaginae vteri et intestini recti prolapsu, vasorum laxitate, renum, vesicae et ligamentorum debilitate; profluuiis serosis, ulceribus, putredinosa externarum partium corruptione, appetitu et digestione deprauata, spasticis affectibus, ictero chronicō, asthmate, lienteria, diarrhoea mucosa, fluore albo, menstruorum vi-  
tiis, haemorrhoidibus, scabie, rheumatismo et scorbuto commendat; in vinoſo infuso et extractis potif-  
simum exhibere iubet; in strictura vero et rigiditate fibrarum, bilis, orgasmō, sanguinisque nimia rarefa-  
ctione ipsius uolumen dissuadet').

### §. XVI.

*Comparatur cortex salicis cum cortice Peruiano a) quoad principia.*

Sed satis est testimoniorum. Age nunc potius, paucis adhuc corticem nostrum cum cortice Peruiano comparemus. Eum vero cum hoc aliquo modo convenire, ex antecedentibus satis patere arbitror; simili-  
que in hac re confirmando prouoco ad sententiam Cl.  
GERHARDI qui in dissertatione sua *de medicamentis  
plerisque exoticis raro vel nunquam usurpandis* §. 18. ita  
loqui-

t) Aliud adhuc testimonium de utilitate corticis salicis albae  
in febre tertiana, scorbuto et ulceribus reperto in libello su-  
pra cit. *Der Landarzt* p. 334. cuius Autor acenter decer-  
pti corticis vinciis duabus aquae libram unam infundere, hanc  
cum illo leniter coquere, decoctumque aegris frequenter ex-  
hibere iubet.

loquitur: *tortici Peruviano medicamento decantatissimo, et re ipsa valde quoque actiuo cortex salicis amarae nostratis, (nec minus muscus quernus amarus) tuto substitui potest.* *Valet hoc in primis de cortice salicis amarae nostratis, quippe qui a ramis annosoribus detractus instar corticis peruviani vialis, magis adstringens, minus amarus, nullo vero modo balsamicus existit; a iunioribus vero desumtus instar corticis Chinæ melioris ac nobilioris notae amarore quoque maiore, minore vi adstringente, et balsamico quodam principio imbutus deprehenditur; quibus paulo inferius addit: quocunque amarum adstringenti iunctum corticem Chinæ quasi artificialēm sistere <sup>u</sup>).* In ipsa vero utriusque corticis comparatione instituenda ita versabimur, ut primum ad principia illorum corticum, tunc ad ea, quae ex iis parantur, medicamenta, deinde ad ipsum vires, harumque agendi modum, denique ad eorum utilitatem cautelasque in ipsorum usū adhibendas respiciamus. Quod ad principia corticis nostri attinet, ea per experimenta deprehendimus esse ex parte volatilia balsamica, oleoso spirituosa, et acidulo-salina; ex parte fixa gummea, resinosa et terrestria. In cortice vero Peruviano Cel. Virorum, potissimum Cl. GEOFFROY <sup>w</sup>), Ill. CARTHEVSERI <sup>x</sup>), et Cel. NEVMANNI <sup>y</sup>) scripta docent reperiri multum salis acidi et olei crassioris, perparum terrae, aliquantum salis vrinosi, non adeo multum gummearum, plus re-

D 2

fino-

<sup>u</sup>) vid. *Triga dissert. physicomed. Berol.* 1763. p. 84.

<sup>w</sup>) *Mat. med. Paris.* 1741. Tom. II. p. 179.

<sup>x</sup>) *Fundam. mat. med. Erf.* 1749. Pars II. p. 485.

<sup>y</sup>) *Praslect-chym. phermac.* p. 813 sq.



sinosarum', quartam corticis partem pene aequantium, et ex salis acidi et oleosarum partium mixtione productarum particularum; non tamen omni ex parte optumi hi Viri in definienda istarum partium proportione consentiunt. Quomodo cunque vero cuncta haec se habeant, id tamen inde intelligimus, principiorum utriusque corticis pene vnam eandemque esse indolem, solo hoc discrimine locum habente, quod balsamicae partes in cortice Peruiano manifestiores sint, diutiusque persistant, quam in cortice salicis.

### §. XVII.

#### *b) quoad medicamenta praeparata.*

Paratur autem ex cortice Peruiano puluis, infusa aquosa et vinosa, essentiae, extracta etc. Pulvis magis placet quam ille ex salicis cortice paratus. Infusa aquosa corticis salicis, in primis frigida, bene depurata eandem habent ac illa corticis Peruiani praestantiam. Infusa vinoſa utriusque corticis, licet ab Autoribus valde laudentur, magis tamen menstruo suo, quam vera efficacia se commendant. Essentiae in utroque cortice aequae praestantes, si in earum usu menstruum ipsarum non ut contraindicans considerari debat. Extracta denique, siue ex nostro, siue ex Peruiano cortice parata sint, virtute sua sibi inuicem vix cedunt.

### §. XVIII.

#### *c) quoad vires harumque agendi modum.*

Cortici vero Peruiano nomen medicamenti balsamico-aromatici, austeroque amari imponendum, ipsique

que vim calefaciendi, roborandi, et exsiccandi adscribendam esse, et principiorum eius notitia, et experientia docet. Pare quid de cortice salicum affirmandum esse ex iis, quae a §. X. usque ad §. XV. dicta sunt, luculenter, ut reor, apparet. Quomodo autem cortex calefaciendi, roborandi, et exsiccandi virtutem, cum neruina et antisepatica coniunctam, exserat, demonstrare difficillimum est, neque nos determinare audemus, praesertim, quum nuper in scripto quodam<sup>z</sup>); corticis Peruuiani effectus minime per principiorum eius cognitionem, saporem, et odorem ipsius illustrari posse, legimus; multumque dubia sint, quae quidam de alcalino principio in cortice hoc deprehendendo, acido morborum principio contrario, alii vero de acido corticis alcali morborum inimico sentiunt.

### §. XIX.

*d) quoad utilitatem in morbis et cautelas in eius usu adhibendas.*

Eosdem vero, ac corticem Peruuianum, corticem salicis effectus, variis experientiae documentis, §. XV. prolatis, comprobauimus. Omnes enim illi morbi, quibus ibidem diximus mederi corticem nostrum, Peruuiani auxilio facile et feliciter tolluntur. Nec in hac re ulterius confirmando morari necesse est, attendamus adhuc potius illas cautelas quae

D 3 in

<sup>z</sup>) F. R. C A S I M. MEDICVS Samml. u. Beobacht. aus d. Arzneywissenschaft, Zurich 1766. Band II. p. 445.



in corticis Peruuiani vsu adhibendae sunt. Quarum hae praecipuae sunt; quod corporis constitutio bene disquiratur; materia morbosā prius euacuetur; obstrunctiones viscerum aliquantum referentur, et tempore, quo in vsum vocatur, nec non post illud, apta et conveniens obseruetur diaeta<sup>a</sup>). Quae omnia in corticis salicis vsu, *Reu. EDMUNDOSTONE* licet contradicente<sup>b</sup>), non negligenda esse puto.

### §. XX.

a) Egregie super hac re differit Exper. RUDIGER in Diss. de veritate virtutis medicamentorum propriae et motu bane explorandi edit. Lips. 1750 p. 27. his quidem verbis: *Nunquam prodest (cortex Chinchinae) ubi materia morbosā nondum sufficienter fuit euacuata, veluti in febribus, ubi secunda febris subest, prius illa perfecte expelli debet. Pariter nocturna et peruvlgatam satis est, Chinchinae vsum, ubi viscerum obstruktiones inflammatoriae, aliaeque nondum expeditae sunt, in quounque subiecto noxiū esse atque pericolosum. At cum plerisque in febribus intermittentibus adhiberi soleat cortex, illud utique definitum non est. sub quibus indicis cortex perpetuo sit salutaris, et e contrario, sub quibus constanter noxius. Ubi is quibusdam febrium intermittentium cortex peruvianus non motibus febrilibus specifico ostendat, eius quidem vsum plerisque solerit esse tempestivus, quando nimirum sub ipsa febrili accessione respiratio citata sit, aeger ardenter sit, partium motus voluntarius dolorificus est, et nullus capititis dolor urget, Chinchinae vsum, decenter expulsa febrinum causa, et expeditis, si que sunt, viscerum obstruktionibus, nullo novi tempore innentium et salutarem. Quam maxime autem perniciosum hic ipso cortex edit effectum, si postea a me conditiones, non sub ipsa febrili accessione, sed tempore apopexias, aliquatenus adiungit, et contrariae notae accidente febre apparent. Si nimirum respirationis difficultas, nulla, vel valde obscura bibendi cupido, partium motui voluntario subiectarum rigor, et insignis ac prorsus excrucians capititis dolor non tempore apopexias, sed in ipso paroxysmo urgunt, alienum Chinchinae vsum esse, cum constantia quadam obseruavi. Id etiam non ignorari praestat, quod corticis vsum illis praesertim dissuadendum esse experientia docuerit, quos frequens alii obstructio per multos dies exercet;*

b) vid. nostr. Diss. §. XV.



## §. XX.

E p i l o g u s.

Ne autem diutius L. B. benignitate abutar, in iis, quae nunc proposui, subsistam, ea alia vice, si Deus vitam concesserit, pluribus experientiae documentis illustraturus et confirmaturus. Quo tamen L. B. proposita quasi in compendio habeat, paucis, quae huc usque fuisse dixi, repetam. Ostendi vero et cum experimentis, tum practicis observationibus probavi, *corticem salicis* souere in se partim principia volatilia, balsamica acidulo salina, oleoso spirituosa; partim fixa gummea, resinosa et terrestria; ideo inter medicamenta austero amara, balsamica leniterque adstringentia referri debere; in infusis frigidis aquosis et extractis efficacissimum esse; resoluere, calefacere, roborare, exsiccare, putredini resistere; et propter hasce virtutes cortici Peruuiano substitui posse; quippe qui idem praestet, quod salicis cortex praestare valet. Haec quidem est summa eorum, quae a me exposita sunt; addam tamen adhuc id, quod, quem cortex Peruuianus et nimis pretiosus, et saepe corruptus et deterior factus ad nos veniat, omni opera et studio de vera corticis salicis virtute, eiusque salutari usu a quounque iusto et vero hominum salutis aestimatore cogitandum sit. Forte Dii vñquam huic nostro cortici propitiū erunt, hominesque, pauperum aegrorum saluti bene cupientes eundem bene attendent et explorabunt, quo tandem decantatissimo illo, nimis tamen pretioso, qui nobis propter balsamico aromaticam suam indolem manifestiore, diutiusque persistentem, cortice salicis adhuc superior esse videtur, penitus carere possimus, nec remedium quoddam, nobis summe necessarium, in peregrinis



grinis terris amplius quaerere debeamus. Idque a quo-  
cunque probo homine serio optandum est, quum, vt in  
prioris dissertationis limine affirmauimus, medicamenta,  
in iis, in quibus nos viuimus, regionibus nata nostri  
corporis constitutioni et naturae semper magis accom-  
modata censerit debeant. Optatum hunc rei euentum  
expectatur; spemque, ea, quae nunc duabus a nobis  
editis scriptiunculis forte minus apto et bono ordine ex-  
posuimus, in futurum perfectiora et forte probatiora ex-  
hibendi, facientes; omnibus denique, quos nobis pietas  
et amicitia iungit, bene cupientes, aequoque L. B. iudi-  
cio utramque dissertationem submittentes, omnibus de  
cortice salicis cortici Peruuiano substituendo meditationi-  
bus iam imponimus.

F I N E M.









